



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Volumen Epistolarum, Qvas Romani Pontifices, Gregorijs  
III., Stephanvs III., Zacharias I., Pavlvs I., Stephanvs IV.,  
Adrianvs et Pseudopapa Constantinus miserunt& reges  
Francorum, Carolvm Martellvm, ...**

**Gretser, Jacob**  
**[München], 1613**

[Annotatio.]

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-65166](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-65166)

verò dua, Deus & homo, vt & anima & corpus; filij verò non duo, neq; dij. Neq; enim hic duo homines; quamuis Paulus quod interius hominis & exterius appellauit. Si oportet cōtinuo dicit, alium & alium ex quibus Saluator, siue non quod & ipsum inuisibilem visibili & sine tempore, quæ sub tempore; nō alius & alius absit; utraq; vnum verò. Et infra: Si quis ex operibus perfectum, aut post baptisma, aut post ex mortuis resurrectionem adoptionem dignus est dicit, sicut quos pagani \* præscriptos introducunt, anathema sit. 1. Cor. 15e  
\* ascripti-  
tios.

## [ ANNOTATIO.

Locus iste Nazianzeni totus ferme in apographo nostro corruptus est. In editione Billij ita habet conuenienter Græco textui. Si quis duos filios, alterum ex Deo & patre: alterum ex matre, non autem vnum atq; eundem induxerit; is ab ea quoq; filiorum adoptione excidat, quæ rectè credentibus promissa est. Quamquã enim Deus & homo dua nature sunt; quemadmodum & anima & corpus; non tamen duo filij, nec dij: quemadmodum ne hic quidem duo homines, tametsi Paulus ad hunc modum internam & externam hominis partem appellauerit. Atq; vt paucis rem complectar, aliud quidem atq; aliud sunt ea, ex quibus Saluator (nisi verò id, quod cerni non potest, idem est cum eo, quod in oculorum aspectum cadit; & quod temporis expers est, cum eo, quod temporis subest) non tamen alius, atq; alius absit; ambo enim hæc coniunctione vnum sunt.

Infra: Si quis ex operibus perfectum fuisse, aut post baptisma, vel resurrectionem à mortuis, in filium adoptatum dixerit; quemadmodum quos Græci adscriptitios inducunt, anathema sit. ]

Vnde præcipuus Amphilocheus Iconij Episcopus in sermone suo in sancta Epiphania nos docuit. Nunc

in Spiritu sancto propter adoptionis gratiã, impossibile enim, te accipere auctoritatem adoptionis, & clamare, Abba pater, nisi signante adoptionis spiritu. Et post pauca: Nisi ille passus fuisset serui forma, nullo modo tu gloriã adoptionis lucraberis. Et post modicũ: Diligite imperiale donum; capite adoptionis dignitatem. Sed & B. Gregorius Nyssenus Episcopus  
 \*differeus. super Matthæum \* disponens, ita ait; Si verò pacificus es, adoptionis gratia coronaris. Quatenus & B. Iohannes Constantinopolitanus Episcopus, qui & Chryso-  
 stomus, ad Neophytos scribens instruit: Benedictus Deus, iterum dicamus, qui facit mirabilia solus, qui facit vniuersa, & conuertit vniuersa; ecce libertatis serenitate perfruuntur qui tenebantur ante captiui, & ciues Ecclesie sunt, qui fuerant in peregrinationis errore; & iustitiæ in sorte versantur, qui fuerunt in confusione peccati, non enim sunt tantum liberi, sed & sancti, non tantum sancti, sed & iusti; non solum iusti, sed & filij, nec solum filij, sed hæredes, non solum hæredes, sed & fratres Christi, nec tantum fratres Christi, sed cohæredes, non tantum cohæredes, sed & membra, non membra tantum, sed & templum; nec tantum templum, sed & organa spiritus, Benedictus Deus, qui facit mirabilia solus. Vides quot sunt baptismatis largitates, sed multis quidem videtur cœlestis gratia, in peccatorum remissione tantum consistere, nos autem honores computauimus decem: hac de causa etiam infantulos baptizamus, ne sint coinquinati peccato, vt eis detur, iustitiæ adoptio, hæreditas, fraternitas Christi, vt eius membra sint omnes, vt spiritus inhabitatio fiant.

Item idem ipse super Ioannem Euangelistã docuit; Non enim inutilis fias erga beneficium, neq; contrariis retribuas, qui tibi fontẽ beatitudinis donauit, ubi enim adoptionis dignitas, ibi malorũ amputatio, & bonorũ omnium datũ. Idem ipse Psalmis; factum est istud, & est hoc mirabile in oculis nostris;

nostris, vt nos qui ante passionem Domini sine testamento eramus, & lege, adoptaremur in filios Dei.

Ecce, dilectissimi nobis, qualiter sancti Patres orientales docuerunt, inter dona charismatum adoptione esse, & nobis omnibus, qui in peccatis nati sumus, & iterum per Baptismum renati, à Dño nostro Iesu Christo, filio Dei vnigenito, concessam. Vnde & B. Augustinus egregius Doctor in Sermone de Natali Domini inquit: *Audite filij lucis, adoptati in regnum Dei.* Et iterum in Explanacione sancti Euangelij super Ioannem pro hoc manifestè docuit: *Quotquot autem receperunt eum; Quid eis prestetit? Magnam benevolentiam; magnam misericordiam. Vnicus natus est, & noluit manere vnus. Multi homines cum filios non habuerunt, per actam atate, adoptant sibi, & voluntate faciunt, quod natura non potuerunt; hoc faciunt homines; si autem aliquis habeat filium vnicum, gaudet de illo magis, quia solus omnia possessurus est; & non habebit, qui cum eo diuidat hereditatem, vt pauperior remaneat. Non sic Deus; vnicum eundem ipsum, quem genuerat, & per quem euncta creauerat, misit in hunc mundum, vt non esset vnus, sed fratres haberet adoptatos, nõ enim nos nati sumus de Deo, quomodo vnigenitus, sed adoptati per gratiam ipsius, ille enim venit vnigenitus soluere peccatum, &c.* Item in alio Sermone eiusdem libri: *Nulla modo autem possunt dicere habere se charitatem, qui diuidunt vnitatem.* His dictis subsequencia videamus: *Perhibuit Iohannes testimonium, quia vidit. Quale testimonium perhibuit? quia ipse est filius Dei; oportebat ergo, vt ille baptizaret, qui est filius Dei vnicus, non adoptatus; adoptati filij ministri sunt vnici, vnicus habet potestatem, adoptat in ministerium; licet baptizet minister, non pertinens ad numerum fratrum, quia male viuit & male agit, quid nos consolatur? Hic est, qui baptizat, &c.*

Item

Idem in alio Sermone: Nos enim de gentibus venimus; de gentibus autem non veniremus, nisi Deus de lapidibus suscitarer filios Abrahæ: facti sumus filij Abrahæ imitando fidem, non nascendo per carnem, sicut enim illi degenerando ex hereditate sic nos imitando adoptati. Et infra idem in alio Sermone: Pater diligit filium, & omnia dedit in manu eius; adiecit, omnia dedit in manu eius; ut nosse & hic, qua distinctione dictum sit; pater diligit filium; quare ergo Pater non diligit Ioannem? & tamen non omnia dedit in manu eius. Pater non diligit Paulum? & tamen non omnia dedit in manu eius; Pater diligit filium, sed quomodo Pater, filium; non quomodo Dominus, seruum. Quomodo unicum, non quomodo adoptatum.

Ioan. 3.

Pariter B. Hilarij Pictaviensis Episcopi super Matthæum inquit expositio: Beati pacifici, quoniam filij Dei vocabuntur; pacificorum beatitudo, adoptionis est merces, ut filij Dei maneat; parens enim omnium Deus vnus est, neque enim aliter transire, in nuncupationem familia eius licebit, nisi obliuione earum rerum adsumpta, quibus possumus offendi, fraternam inuicem charitatis pace viuamus. Sed & B. Leo egregius Papa atq; præcipuus doctor ex Sermone sanctæ Epiphaniæ ita nos docuit: Vnde quod illustres viri, vniuersarum gentium personam gerentes, adorato Domino sunt adepti, hoc in populis suis per fidem, qua iustificat impios, totus mundus adsequitur, & hereditatem Dei ante sacula præparatam accipiunt adoptiui, & perdunt, qui videbantur esse legitimi. Et post cætera ex ipso Sermone: Illa nobis currenda est via, quam ipse Dominus se esse testatus est; qui nobis nullis operum meritis suffragantibus Sacramento consuluit & exemplo, ut in adoptionem vocatos, per illud prouerberet ad salutem, per hoc imbueret ad laborem. Item ex eiusdem beatissimi Leonis pontificis Sermone de passione Domini. Nos  
autem

Serm. 5.

autem dilectissimi, qui ab ignorantia tenebris liberati, fidei lumen accepimus, & in nouo testamento hereditatem per electionem adoptionis intrauimus, festiuitate, quam Israel carnalis perdidit, gaudeamus. Item alius sermo eiusdem de Pentecoste. Nos autem, dilectissimi, ad beatam hereditatem & animæ & carnis per regenerationem sancti Spiritus adoptati, sacratissimū diei istius festum rationabili obsequio celebremus: confidentes cum B. Paulo Apostolo, quod Dominus Iesus ascendens in altum captiuam duxit captiuitatem, dedit dona hominibus; ut Euangelium Dei per omne humana vocis eloquium predicaretur, & omnis lingua confiteatur, quoniam Dominus Iesus in gloria est Dei patris.

Si enim sanctorum omnium orthodoxorum patrum, pro huiusmodi opuscula vobis exarasse, antea chartæ & scriptores deficerent, quam diuinus per eorum disputationes cessasset sermo; sed in his omnibus vestra fidelissima credulitas ad fidem Catholicæ & Apostolicæ Romane Ecclesiæ, eos, qui in errore positi sunt, redigentes, fructum animarum Deo offerre studete, ut nobis vobisq; potissimū lucrum ad crescat; pariterq; & hoc peruenit ad nostras Apostolicas aures, quod multi in partibus illis in insipientiam atq; cordis dementiam deuoluti, prædecessorum nostrorum sanctorum Pontificum, & nostras relationum atque ammonitionum series; secundū venerandi Nicæni Concilij institutionem de Paschali festiuitate, ita contemnere audent, quod si plenilunium quarto decimo scilicet lunæ die, Sabbatho contigerit, alio die Dominico videlicet quinto decimo lunæ die Pascha sanctum minimè celebratur, sed prætermisso eodem quinto decimo die, in alio sequentis septimanæ Dominico, qui est vicesimo secundo lunæ die, Paschalis festi

festi gaudia pronunciant celebranda. Quod si interiorius mente perpenditur magni ac venerandi Nicæni Concilij trecentorum decem & octo sanctorum Patrum simul convenientium promulgata Paschalium festiuitatum ratio, procul dubio omnis error, omnisque ambiguitas ab hæsitantium cordibus auferetur; sed dum plerique propria commenta, ut acuti, perspicaces, & mundanæ scientiæ gnari; spiritualis vero eruditionis ignari, vindicare desudant; olitanam Patrum traditionem defidiosa ignauia prætereunt & vera mendaciis obumbrare inhiant. In eodem quippè magno Nicæno Concilio decennouenali cyclo Patrum confirmato sententia, ita inter cætera ibidem fertur promulgatum: quòd non amplius, quam vsq; ad vicesimam primam lunæ diem huius sacræ festiuitatis solemnia dilatentur. Quam Paschæ rationem & Antiochenum demum venerandum corroborans concilium, inter reliqua ita inibi, in primo scilicet capitulo, constat exaratum. *Omnes, qui ausi fuerint dissolvere definitionem sancti & magni Nicæni Concilij, congregati sub presentia piissimi & venerandissimi principis Constantini, de salutifera sancti Paschæ solennitate excommunicandos & ab Ecclesia esse abiiciendos censemus; & si tamen* \* contentius aduersus ea, quæ benè sunt constituta perstiterint, atrocioribus submissuros interdictionibus censuerunt. Nam & beatissimus Dionysius, in ea, quam de ratione Paschæ promittit epistola ait; *A duodecimo Kalendarum Aprilium die, cunctorum orientalium sententia æquinoctij cursus vernalis consequatur, decreuerunt, maxime Aegyptiorum peritiam, qui huius calculationis gnari doctique sunt, inquirendam, specialiter adnotatur, in quo etiam si luna quarta decima Sabbatho contingat, sequenti die Dominico*  
luna

\* contentius  
sive.

*luna quinta decima celebrandum Pascha sancta Synodus Ni-  
cana sine ambiguitate firmavit.*

Attendite, dilectissimi nobis, & illud, quod beatus Proterius Alexandrinæ Ecclesiæ præsul, prædecessori nostro beatissimo Leoni Papæ, ob piæ memoriæ Marciani principis iussum, direxit: post plurima enim ita ait: *Olim quidem Dominus per Moysen significans dicit; mensis iste vobis initium mensium primus erit in mensibus anni, & facies Pascha Domino Deo tuo, quarta decima die mensis primi.* Et post pauca subiunxit dicens; *Si quando in die Dominico, quarta decima luna reperta est, in sequenti septimana est dilatanda festiuitas; sicut & veteres patres nostri fecerunt, quartas decimas lunas occurrentes, in aliam Dominicam transferentes.* Undè constat dilectissimi non amplius huius venerandæ festiuitatis solennitatem extendi fas esse quàm vsque in vicesimam primam lunæ diem, ritè obseruantes hebdomadæ dierum numerum, dum solaris cursus à lunæ cursu omnino discordat, quoniam in sex quidem diebus, creator omnium Dominus æthereum firmamentum omnemq; eius ornatum, rutilantia æquoris atque telluris gignentia ac elementorum materiam, & cunctorum reptilium animantia patrauit, & postremum è limo hominem finxit agri, & in septimo die requieuit ab omni opere, quod patrarat; his nempe septem diebus à quarto decimo die lunæ, quod est plenilunium, si Dominica tamen occurrerit, quæ est prima & sancta dies, pro eo, quod non oportet in ea ieiunare, intermissis in alia Dominica, quæ est prima & sancta dies, vicesima prima luna rationis ordo exigit sanctum.



Pascha à Christianis celebrandum, nam si in Sabbatho quarta decima luna prouenerit, non est intermittenda subsequens Dominica, quinta decima videlicet lunæ dies, venerantes eandem Dominicam, quæ est prima Sabbathorum dies, in qua lux, iubente Deo, in ipso mundi exordio prodiit, in qua & vera lux Saluator noster, ab inferis carne resurrexit, nam si octo dies à quarta decima lunæ die, quando ieiunium soluitur, intermittuntur, vt in vicesimo secundo die lunæ Paschalis festiuitas dilatetur, ergo iam non septima, id est, hebdomada, sed ogdoada, vt stolidi quique & vecordes prophanizant, dicenda atq; obseruanda est; Intuendum quippe & illud ratio suadet, quod septem hebdomada, & non octo intermittuntur à Paschali festiuitate vsque ad sanctam Pentecosten, in qua paraclatum spiritum à patre redemptor noster Dei viui filius post gloriosam resurrectionem suam, sanctis suis<sup>s</sup> Apostolis misit, pro quo regiam gradiemur viam, & non declinabimus penitus per tortuosum, & dumis ac tribulis repletum callē, pergant per eum hi, qui cupiunt, noua figmenta, & scelerum monumenta componere, vt merito spinæ & tribuli generentur eis<sup>s</sup>. Iam quidem dudum decessores & prædecessores nostri sancti Pontificis, pro hac quæstione, simulq; hæresi, illis partibus commonitorium adque adhortationem dirigentes, congrua capitula B. Cyrilli atque Theophili, nec non & aliorum sanctorum patrum, quos dinumerare longum est promulgâtes docuerunt; quod vestræ dilectioni gnarum esse dubium non est, pro quo non silemus, charissimi, impensius vos commone, vt à falsis fratribus caueatis, & eo modo, quo sancta nostra Romana Ecclesia, caput omnium Ecclesiarum

rum

rum Dei, Paschalem celebrat solemnitatem & rectè, si Dei tenet traditiones, & vos procul dubio celebrare studeatis, vt sicut pares nos Christianorum fidei religio efficit, æquales nimirum, in festiuitatibus efficiat.

Verum etiam & hoc de partibus vestris audiui-  
mus, quod quidam pollicentes atque in errore perse-  
uerantes prædicant, vt qui non ederit pecudum aut  
suillum sanguinem, & suffocatum, rudis est aut iner-  
ditus. Nos quidem Apostolica præcepta imbuti atque  
eruditi confirmantes prædicamus; quod si quis pecu-  
dum aut suillum sanguinem vel suffocatum mandu-  
cauerit, non solum totius est consolationis alienus, sed  
ipsius quoque intelligentiæ communis prorsus extra-  
neus, vnde sub anathematis vinculo obligati in la-  
queos incidunt diaboli.

Illud autem quod alij ex ipsis dicunt, quod præde-  
stinatio ad vitam, siue ad mortem, in Dei sit potestate,  
& non nostra; isti dicunt, vt quid conamur viuere,  
quod in Dei est potestate? Alij iterum dicunt, vt quid  
rogamus Deum ne vincamur tentatione, quod in no-  
stra est potestate, quasi libertate arbitrij? reuera enim  
nullam rationem reddere vel accipere valent, igno-  
rantes B. Fulgentij Episcopi, ad Eugypium, presbyte-  
rum contra Sermonem cuiusdam Pelagiani opuscula  
directa, quibus infra multa idem pater docens, hæc  
verba subiungit. *Illi autem dum pro se gratiam solum re-  
prehensibiliter intromittunt, in se damnabiliter calcauerunt,  
qui alios ad vitam, alios ad mortem asserunt destinatos, ad-  
uerte, quibus impietatis se nexibus ligant: si ad bonum præde-  
stinatus sum, contra malum resistere necesse mihi non erit; si  
verò ad malum natus, bonum mihi exercere nihil proderit, ac*

sic in utraque parte, intercluso appetitu laudis & gloria, unus  
 securitate, alius desperatione torpebit, ac per hoc ociabitur iu-  
 stitia exercitatio, oratio cessabit, languebit operatio. Sed non  
 ita est; quin potius incessanter oremus; quia ipse Dominus di-  
 cit; sine intermissione orate, ne intretis in tentationem. Ni-  
 hilominus contra omne peccatum, non solum oratione, sed eti-  
 am labore luctemur, quia ipse Dominus presenti lectione te-  
 status est quia unusquisque propriam mercedem accipiet, secun-  
 dum suum laborem. Hac verba, quibus auctor Sermonis il-  
 lius, veritatem praedestinationis nititur oppugnare, inconsi-  
 derate atque indiscrete prolata, Deo nos adiuuante, monstra-  
 mus. Et post cætera: Opera ergo misericordia ac iustitia  
 preparavit Deus in aeternitate incommutabilitatis suae, & si-  
 cut futurorum operum suorum, nunquam fuit ignarus, sic in  
 eorundem operum preparatione numquam impronidus: pre-  
 paravit ergo iustificandis hominibus merita; preparavit iis-  
 dem glorificandis & premia; malis verò non preparavit vo-  
 luntates malas, aut opera mala, sed preparavit eis iusta & æ-  
 terna supplicia, hac est aeterna praedestinatio futurorum ope-  
 rum Dei, quam sicut nobis Apostolica doctrina semper insi-  
 nuari cognoscimus, sic etiam fiducialiter predicamus; Bea-  
 tus enim Paulus praedestinationem eorum, quos DEVS gratis  
 saluat, & evidenter & frequenter insinuat; ipse enim dicit  
 de Deo, nam quos praesciuit, & praedestinavit conformes fieri,  
 imaginis filij sui, ut sit ipse primogenitus in multis fratri-  
 bus. Et post: Quos autem praedestinavit, hos & vocavit:  
 & quos vocavit: hos & iustificavit; quos autem iustifica-  
 vit, hos glorificavit; nihil incertum in DEI operibus  
 nutat, quia nihil suae praedestinationis euacuat, praedestina-  
 tionis igitur suae opera vocatione Deus inchoat, glorifica-  
 tione consummat. Non tamen in omnibus quos vocat, sed  
 quos

Rom. 8.

quos secundum propositum vocat; diligentibus enim Deum omnia cooperantur in bonum his, qui secundum propositum vocati sunt.

Item & post multa: Teneatur ergo predestinationis veritas à fidelibus cunctis, quia quisquis diuinum non credit in hac predestinationis consilium, non perueniet ad gloriosum eiusdem predestinationis effectum, quisquis autem non est predestinatus ad gloriam, inuenitur sine dubio preascitus ad pœnam, quæ ideo in Dei præparatione predestinata cognoscitur, ut per eam infidelitas atq; iniquitas puniatur; propter quod beatus Iudas Apostolus, quosdam predestinatos dicit, in iudicium his verbis; subintroierunt enim quidam homines impij, qui olim præscripti & predestinati erant, in hoc iudicium Dei nostri. Vigilanter autem in doctrina Spiritus sancti, predestinatos impios non dicit ad peccatum, sed ad iudicium, id est, non ad impietatem, sed ad punitionem. Non enim predestinati sunt ad hoc, quod vitiosas impietates admittunt, sed ad illud, quod iudicio æquitatis diuinæ recipiunt. Ipsorum enim opus est quod impie faciunt; Dei autem opus est, quod iuste recipiunt.

Item post cætera: Proinde quod Auctor illius Sermōnis subsequenter, adiunxit dicens; quin potius incessanter oremus; quia ipse Dominus dicit; sine intermissione orate, ne intretis in tentionē, & post nihilominus; contra omne peccatum, non solum oratione sed etiam labore luctemur, & iterum: sic laborantes vocat Dominus dicens: *Ve-* Matth. 18.  
nite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego vos reficiam; sed nos à DEO humiliter gratiam poscimus, quam collaborantem iugiter habeamus, per quam nos DEVS & in labore custodiat, & ad mercedem peractō labore perducatur.

Porro

Porro dilectissimi diuersa capitula, quæ ex illis audiuius partibus, id est, quod multi dicentes se Catholicos esse, communem vitam gerentes cum Iudæis, & non baptizatis paganis, tam in escis quamque in potu, & in diuersis erroribus nihil pollui se inquit: & illud, quod inhibitum est, vt nulli liceat iugum ducere cum infidelibus, ipsi enim filias suas cum alio benedicent, & sic populo gentili tradentur, & quod sine examinatione præfati presbyteri vt præsent, ordinantur, & alius quoque immanis inualuit error perniciosus, vt etiam, viuentem viro, mulieres sibi in connubio sortiantur, ipsi pseudosacerdotes, simulq; & de libertate arbitrij, & alia multa, sicut de illis audiuius partibus, quæ longum est dici. Quapropter, dilectissimi, oportet vestram industriam sollertissimè vigilare; & sicut decet Domini sacerdotes, nulli vestrum liceat canones ignorare, nec quidquam facere, quod patrum possit regalis obuiare, quæ enim à nobis res digna seruabitur, si decretalium norma constitutorum pro aliquorum libito, licentiâ populis permisâ frangatur? Vndè constat, vt si quis de prædictis capitulis obnoxius reperietur, post vnam & secundam adhortationem, si noluerit se corrigere, profectò is regulariter à consortio fidelium Dei, vtpote corruptor patrum traditionum, extorris efficiatur, & in æterna condemnatione inueniatur. Cauendum ergo dilectioni vestræ est, magnaue diligentia prohibendum, ne per eiusmodi homines extincta dudum scandala suscitentur, & de exciso olim dogmate, aliquod in prouincia eiusdem mali germen oriatur; quod non solum in radicibus suis crescat, sed etiam sanctæ Ecclesiæ subolem veneno sui odoris inficiat, qui correctos se videri volût,

ab

ab omni suspitione se purgent, & obediendo vobis<sup>9</sup> probent, se esse nostros, quorum si quisquam salubribus præceptis satisfacere detractauerit, siue ille clericus, siue sit laicus, ab Ecclesiæ societate pellatur; ne perditor animæ suæ, salutis infidietur alienæ. Sed vos, dilectissimi, nostræ sanctæ Ecclesiæ Catholicæ & Apostolicæ orthodoxam fidem amplectentes, prædicare nitimini, vt sicut vnus est pastor noster Christus, Dei viui filius, omnes simul in vno eius efficiamur aggregati ouili, & quemadmodum vnus capituli sumus membra; vnum efficiamur corpus in Christo Iesu Domino nostro, promerentes, quod sanctis suis contulit cultoribus, qui eius præcepta custodiunt, & ab initio mundi diuinæ eius placuerunt maiestati; desiderabilem promissionem, quam ait: *Venite benedicti patris mei percipite regnum vobis præparatum ab origine mundi.*

Matth. 24.

*Item exemplar Epistolæ Constantini Papæ Neophyti ad Dominum Pippinum regem directæ, in qua continentur gratiarum actiones, & de obitu Domni Pauli Papæ, & postulat, vt in gratia Domni Pippini regis permanere possit, sicuti Antecessores sui fuerunt.*

Mortuo Pauli. Pö. tifice, in sedem Apostolicam à factiosis intrusus fuisse Pseudopapam Constantinum; qui mox ad Pippinū duas Epistolæ deest, quarum memorit quæque Baron. Anno 767 N. 7. & Magdebur Cent. 8.

## XCVIII.

**D**OMNO excellentissimo filio Pippino Regi Francorum, & Patricio Romanorum. Constantinus Papa. Omnino credimus, iam, præcurrentibus nuntiis, ad vestram excellentissimam, atque à Deo institutam regalem potentiam peruenisse, quod, beatæ recordationis prædecessor noster, Dominus Paulus Papa de hac luce, Dei vocatione, subtracto, Urbis vel subiacentium ei ciuitatum populus meam

x

infe-